



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

SS. Nicasius Ep. & Eutropia V. MM. 13. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

13. Dec. VITÆ SANCTORUM. 783  
cuere IODOCO, potitusque his est  
anno DCLIII. LX. omnino annos in  
tumulo integer, virtute in IODOCO  
faciente, quod in viris principibus aliis  
balsama faciunt. *Ex Flor. Abb.*

*Amemus vitam æternam, & ex eo no-  
verimus, quantum pro illâ laborare debeat-  
mus, cum videmus homines amatores præ-  
sentis vitæ sic pro illâ laborare, ut, cum  
venerit metus mortis, quidquid possunt,  
faciant, non ut auferant, sed ut differant  
mortem. S. August. serm. 64. de verb. Dom.*

SS. NICASIUS EP. & EUTROPIA V.  
MM. 13. Decembris.

Quid ni animos etiam tu Lector ad  
pugnam sumis, toties qui sanguinem  
Martyrum vides? Hic NICASIUS Rhe-  
menfis Pont. & sororis ejusdem germa-  
næ Eutropia est. Fudit Attila, ebrius  
jam dudum ab alio. Rem breviter sic ha-  
be. Flagellabat Gallias dux barbarus,  
jamque Rhemensibus etiam malum mi-  
nabatur, cum cives ad asylon suum NI-  
CASIUM confugerunt. Ille exitium ur-  
bi vaticinatus edixit peccata esse, quæ  
Attilam armassent; hæc si ponerent, il-  
lum quoque exarmandum. Interim bre-  
vi morte æternam ut redimerent, suasit,  
neque jam pro se hosti, sed pro hoste Deo  
supplicarent. Se vitæ hucusque ducem,  
non

784 VITÆ SANCTORUM. 15. Dec.  
non abnuere, quin mortis etiam esset. Ita  
latus *Eutropia* stipante, obviam hosti  
ad *D. Virginis* progreditur, & humi-  
nus dum versum *Davidis* canere incipit,  
caput gladio amittit, carmen tamen et-  
jam mortuus absolvit. Satis spectatum  
esse soror putavit. Quare cum formæ mi-  
les parceret, execrata crudelem miseri-  
cordiam in oculos carnificis involat,  
mortemque invitam in se armat. Interea  
contra barbaros cælum movit, cujus co-  
piæ visæ, simul iratæ è templo voces in  
fugam illos conjecerunt. Ad Martyrum  
verò corpora tam diu lucere faces suas fi-  
dera voluerunt, dum terrâ tegerentur,  
splendore olim his ipsis certatura. *Ex Sur.*

*Carnem afflixisse, libidinem superasse,  
avaritiæ restitisse, de mundo triumphasse,  
pars magna martyrii est. Ergo si tormenta  
Martyrum perferre non possumus, vel con-  
tra malas concupiscentias repugnemus.*  
S. Aug. serm. 4. de Mart.

S. DACHATIUS M. 15. Decembris.

**D**ACHATIUS Palæstinus sex fratres  
germanos fertur numerasse, ipse sep-  
timus, imò inter omnes primus merito  
laudatur. Nam cum pater exigui lucelli  
spe, quam Rex Saracenus ostentabat,  
inductus, à Christo ad Mahometis par-  
tes malum pedem tulisset, repressit suum  
Da-